...laus

Bieżanowski Stanisl. Jos. Trophaeum victoriosae crucis —

TROPHÆUM
VICTORIOSÆ CRVCIS,
GENTILITIA DE STEMMATE PRUS, FALCE, ET SOLEA ARMATUM,

nunc verò

Sacrâ Doctoratus Theologici Laureâ,

In Perillustri, & Reverendissimo Domino,

D. VLADISLAO
de MINSKO
OPACKI,

J. Vq; DOCTORE, Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis ARCHIDIACONO, PRÆPOSITO KOSCIELECENSI, S. R. M. SECRETARIO,

dum

IN ALMA VNIVERSITATE CRACOVIENSI,

A

Perillustri, & Reverendissimo Domino,

D. M. MARTINO WINKLER,
S. TH: DOCTORE, & PROFESSORE,

Collegij Majoris Patre Seniore, CANONICO Cracouiensi, Præposito Sandomiriensi, Scholastico Kielcensi, &c.

in florentissima Illustrium Hospitum corona,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,

RITU SOLENNI RENUNTIARETUR,

magno omnium applausu,

CORONATUM;

& A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI Leopol.

In eadem Alma Vniversitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Pöeseos Professore, officiosissimo cultu

CELEBRATVM.

Anno Salutis 1689. Die 26. Septembris.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Gentilitium Insigne,

Perillustris, & Rñdissimi Dñi.



CLara Trophæorum radiant Insignia, Magni
Sanguinis Illustrem, quæ decuêre Virum.
CRUX Divina rubet, pretioso sanguine tincta,
Victoris Solium, nobile facta DEI.
FALCE minax, stridens Lachesis, formidat acumen;
Cum SOLEAq; trucem, CRUX premit alma Stygem.
Omnia solennem quoniam meruêre triumphum,
Ambiat ergò Sacrum, laurea iusta caput.

TROPHÆUM
VICTORIOSÆ CRVCIS,
Sacrâ Doctoratûs Theologici Laureâ
CORONATVM.

ORbis ſpectacula non poſcimus,
quamuis triumphalia meditemur.
Ad magnificentiam rei ſufficit, abſq; theatrali magnificentia,
ſpectatiſſimum id ex ſeipſo, quod agimus.
Trophæa ſeculi, haud trophæa ſunt;
niſi oſtentatio velit, aſſentatio decernat;
cui in viſendis Septizonijs, totum velle videri;
totum eſſe, nihil eſſe.
Tolle ambitionem, tolle iactantiam,
& Pyramides ſuſtuliſti;
in quibus cæco faſtu exoculata, nihil magis quæſijt;
niſi pompam, & admiratores oculos Ægyptus.
Profana hæc, & iam meritò profanata;
quæ ideò tantùm apparuerant, vt diſparerent,
exertas gentium palpebras non ſatiando;
ſed prouocatione irritamentorum, tam egregiè fallendo;
quàm ingenioſè
Timantis velum, æmulam in arte manum;
vel aureum Hippomenis pomum, Atalantam in curſu fefellit.
Sanctius, & auguſtius eſt,
quod in Trophæo CRVCIS, Centoculos non requirit,
& Argos habet,
cæli, terræq; dulciſſimo ſpectaculo,
etiam ſine oculis, mente ſola viſendum;
ſatiſq; purpuratum ad gloriam;
cui pretium Redemptionis noſtræ,
pretioſiſſimus Diuini Sanguinis murex,
Regis Regum conchylia dedit.
Cruenta Orbis Trophæa, ſanguine rubent;
ſed alieno;

 quem

quem non erubescunt, quia sine fronte effusum.
Diuinum hoc Trophæum,
proprij cruoris purpuram habet,
ab effronte quidem malitia reuelatam;
sed in amore pudicissimo rubentem;
qui aliter in extrema nuditate velari non potuit;
nisi totus sanguine mersus,
paludamentum sibi ex seipso fecisset.
In hoc augustissimo Diuinitatis Trophæo,
purpuræ quidem satis, sed auri nihil;
an quia verè Mauortium hoc, contra Stygem opus,
nihil magis poscebat?
quàm ferrum vndiq;, & vndiq; ferrum;
clauis vtiq; ferreis confixus, sed magis ipse ferreus in se,
immensus amor fuerat,
qui clauis non teneretur, nisi teneret seipsum,
tam rigidus, tam chalybeus;
quàm lancea fuerat, quæ latus eius aperuit;
vt ostenderet,
ab hac ferrea incude, quantus ignis.
Nimirùm hîc ferrea omnia,
vbi falx mortis hebetata ad vitam,
cessit in acumen Sapientiæ:
vbi SOLEA, quæ caput infernalis contriuit draconis,
abijt in spolium victoriæ;
CRVX ipsa sibi, in magnificentissimum
assurrexit Trophæum.
Triumphale id Orbi Christiano,
sed Illustrissimo de Prussorum Stemmate,
OPACCIORVM Sanguini hereditarium;
quas in conterendis hac SOLEA inimicis CRVCIS CHRISTI,
per tot sæcula meruit,
Falce metit coronas;
etiamne Doctorales in Sapientia?
imò verò,
quandoquidem nulla maior hostilitas, quàm ignorantiæ;
nulla maior, & augustior corona,
quàm victricis animorum Sapientiæ.

Hæc

Hæc Tibi ab augusta Pallade venit,
Perillustris, & Reuerendissime Domine,
D. VLADISLAE OPACKI,
Archidiacone Cracouiensis, NeoDoctor dignissime;
Vt in Te coronet, quod in Te maximè tuum est,
animi scilicet decus,
Virtutum, & Sapientiæ speciosissimo apparatu,
supra omnia decora eleuatum.
Secula quidem pro alijs laborâsse nouimus;
vt Magni, & illustres fierent ex antiquò;
sed nulla id effecêre;
vt saperent ex antiquò.
Aliud enim est Aborigenes, & falces Saturnias,
aut Berecynthiam Diuorum Matrem,
inter Natalium antiquissima numerare;
cunarumq; ementitas fasciolas,
abusq; Iunonis, vel Latonæ peplo exordiri:
aliud verò,
Sapientis animi circuitu, seculum omne complecti, aut transgredi;
& ex ea nobilissima hominis parte,
quâ DEO proximus est, & de rebus humanis Diuinè sapit,
censeri, æstimariq; in summo;
illud fortunæ, hoc virtutis;
illud nascitur, hoc paratur,
& ingenti pretio constat, quia sudatis in opere gemmis.
Celsissimo animo tuo,
hæserat id sat profundè;
nec quiescere poteras,
inter gentilitia decora tua, tot sæculis elaborata;
donec de tuo quoq; elaborasses, meruissesq;;
quod mentium partu immortali secula vincit;
& ex pretio Sapientiæ, supra omne pretium æstimatur.
Trophæa Illustrissimæ Domus Tuæ,
pari vetustate, vt & splendore,
Orbi Polono spectatissima,
Miltiadis Tibi Trophæa fuêre;
non vt excitareris ad Heroicos act⁹; quos spôtè poscebas, deperibasq;;
sed vt augustiora redderes,

 post

post tot Maiorũ victrices laur⁹, purpurataſq; ſãguine barbaro palmas,
etiam Diuinæ Sapientiæ lauru
Coronata.
Ita ſanè, CRVCIS Tuæ gentilitiæ Trophæum,
& ſimul æternæ Sapientiæ,
Humanam Carnem indutæ,
Doctoralis Cathedra,
poſcebat Te Doctorem fieri, eius doctrinæ;
quæ habitat quidem in excelſis;
ſed tamen de Cruce humili venit.
Ad falcem quoq; tuam gentilitiam pertinuêre,
prata illa Virentia;
in quibus *flos campi, lilium conuallium*
CHRISTVS,
mentes, & frontes illas coronat;
quæ de illo, tanquam de flore Nazareno,
Theologicè diſſerunt, & ſapiunt Diuinè.
Nec ſolidiſſimum
dimidiæ SOLEÆ Tuæ robur,
extra arcanum eſt;
quæ ſi in Maioribus Tuis, ad conterendos Patriæ hoſtes,
dimidia tantùm valuit;
quantùm illud fuiſſet,
ſi compagem integram, ponduſq;,
Coſacico, Scythico, vel Otthomannico,
capiti impegiſſet;
inter coronas triumphales,
etiam Coronæ Theologicæ opportuna;
vt potè in rerum altiſſimarum ſcientia,
in quibus difficillima quæq; ſeriò percepiſſe;
idem eſt, quod & SOLEAM fregiſſe.
Omnia hæc, ex ſplendidiſſimis Natalibus tuis orta,
vide,
quàm Diuinæ Sapientiæ, propè in delicium veniant;
decuſq; illud propè extorqueant;
quod Te iam non poſcit, ſed ambit.
Habes ex Illuſtriſſimæ Proſapiæ Tuæ merito,
honorem Tibi vectigalem,

per

per tot Equestris Ordinis Subsellia, per tot militares Præfecturas,
curules Senatorias, Officia Regni,
à Ducum Mazouiæ Celsissimis nominibus,
adusq; Regum purpuratas gratias, & Reipub: corcula deductum.
Inscripsit Trophæo tuo Heroica Virtus,
tot illustria Heroum Nomina;
quorum Sanguis es, & amussis,
repræsentans omne æuum, exquisito in Te compendio,
totumq; illud complexus;
quidquid in Maioribus tuis, incomparabilis animi OPACCIIS,
togâ, & sago illustre, vastum meritis, amplum honoribus
in Orbis Poloni facie, vsq; ad splendidissimæ claritudinis iubar,
& supra æstimationem effulsit.
Debet Augustissima Domus IAGELLONICA,
Magno Auo Tuo,

NICOLAO OPACKI,

Succamerario primùm Varsauiensi,
& Magno Arcis Cracouiensis Procuratori,
Palatino deinceps Derpatensi,
SIGISMVNDI III. Poloniæ & Sueciæ Regis,
Verè augustam in captiuitate Suecica educationem;
cui Principem,
tot postea Regum Poloniæ, & Principum Parentem,
inter spineta fortunæ,
illæsum Catholicæ fidei liliorum Manipulum,
diademate Sarmatico coronatum seruauit.
Debet & Filio eius, Patruo Tuo,

SIGISMVNDO OPACKI,

SVCCAMERARIO VARSAVIENSI,
& Magno Arcis Cracouiensis Procuratori,
præcellentium Virorum, & animorum ocello,
felicissimam illam, circa SIGISMVNDI III.
Regiæ propaginis Filios,
dignamq; seculis omnibus curam;
quâ tot Augustos Poloniæ dedit;
quot in VLADISLAO IV. & IOANNE CASIMIRO,
coronata capita;
in JOANNE ALBERTO,

S. R. E. Cardinalium purpurata nomina;
in CAROLO FERDINANDO
insignitos Præsulea Tiara vertices;
in ALEXANDRO Principe,
Martis Sarmatici fulmina educauit.
Quid non egêre?
pro immortalitate nominis,
& OPACCIANÆ CRVCIS Trophæo,
alij quoq; Patrui Tui,
ALBERTVS OPACKI,
VEXILLIFER VARSAVIENSIS,
adusq; Volgam, & Moscuam, Marte Heroico,
& triumphali armorum gloria prouectus;
NICOLAVS OPACKI,
in Seraphicæ Matris Carmelo,
filijs Prophetarum adscriptus,
in Apologia perfectionis Religiosæ,
ceu turri fortitudinis, ex qua mille clypei pendent,
contra osores Asceticæ rigidioris vitæ,
Heroico calamo, & spiritu Heliæ armatus;
SAMVEL OPACKI,
TRIBVNVS VARSAVIENSIS,
ob summam animi virtutem, & elegantiam,
peregrinationum Sereniss: olim IOANNIS CASIMIRI,
per cultissimas Europæ gentes, comes indiuiduus;
magnusq; Parens Tuus,
CHRISTOPHORVS OPACKI,
POCILLATOR primùm CZYRSCENSIS,
post soluta deinceps matrimonij vincula,
ad Aras Ecclesiasticas,
Archidiaconus Lublinensis, & Præpositus Belscensis,
Spirituali zelo, & exemplo spectatissimus.
Intulêre Dòmui Tuæ,
quæ eadem cum MINSCIIS est;
vel in solo MINSCIO Palatino Lanciciensi,
ad CLEMENTEM VIII. Pontificem Maximum,
pro Diuo HYACINTHO in Sanctorum numerum referendo,
Summi

summi eloquij Legato,
ad celeberrimam Magni nominis gloriam euecta,
ex Materni quoq; Sanguinis Tui,
SARBIEVIIS, VARSZEVICIIS, SŁVZEVICIIS,
Senatorij Ordinis consanguinea decora sua,
KAZANOVIORVM, OSSOLINIORVM, OPALINIORVM,
Principes in Regno Prosapiæ;
Fratres quoq; Tui Patrueles,
ALBERTVS OPACKI,
SVCCAMERARIVS VARSAVIENSIS,
ad diuersos in Europa Principes,
in Legationum munere, Cyneas eloquentissimus;
NICOLAVS OPACKI,
ARCHIDIACONVS PŁOCENSIS,
Virtutum suarum merito, honores quoscunq; supergressus;
SAMVEL OPACKI,
DAPIFER VARSAVIENSIS,
in Comitijs Regni, inter Equestris Ordinis Nuntios,
legum, & libertatis Patriæ, sæpè os, & anima factus;
omnes iam beata æternitate sua donati;
præter STANISLAVM OPACKI,
POCILLATOREM VARSAVIENSEM,
magnitudinem, & gloriam Maiorum suorum,
seculo nostro, excellentissimis animi dotibus repræsentantem,
ad coronæ Tuæ monilia veniunt;
quia pectoris Tui gemmæ.
Adde illis
coronamentum omnis gloriæ,
ipsam emedullati dulcoris sapientem Atticam,
iudicij, & consilij aureum tripodem,
Perillustrem, & Reuerendissimum Dominum,
CASIMIRUM LUBINSKI,
Canonicum Cracouiensem, & Sandomiriensem,
Custodem Kielcensem,
in Tribunalitio Regni Iudicio, Deputatum Iudicem,
Tuum ex Sorore Nepotem;
eodemq; Tibi nexu Sanguinis iunctum,

 NICO-

NICOLAUM OBORSKI,
inter florentissima Ordinis Prædicatorum lilia,
supra Virtutum basim, vsq; ad coronas sapientiæ prouectam,
Sacræ eloquentiæ, & Theologicæ Cathedræ
liliatam Columnam.
Ex his tamen in purpuram animi tui,
illud tantùm descendit;
quod ex magno sanguine ad exempla non erubuisti,
satis ex se purpurata;
quæ imitari non suffecerat, nisi Maiora dedisses.
Inuestigauit certè SOLEA Tua,
iter ad illa augustum;
quo selectissimæ animæ ex tuis, ad summa omnia peruenêre;
Tuq; procedis, Regio sanè passu,
vsq; ad Peraugustas in Ecclesia DEI,
& Doctorales apud Regiam Palladem coronas.
Triumphat in ijs Sapientia tua,
præter ingenij vim capacissimam, & elegantem,
pectus eruditum, & Musarum Senaculo dignum;
præter os suaue, & facundum,
Charitesq; animi, vsq; ad Lenocinia dulces,
seria, grauis, matura,
patritio, & Europæarum gentium cultu,
adeò ad tornum formata, & tam exasciata;
vt critici etiam cuiusuis Archilochi,
limam effugerit omnem.
Pulcherrimum illi, decora sua nôsse;
& aliena pluris facere;
intelligere præ alijs, sentire de se infra alios;
authoritatis pondus comitate leuare, occurrere
incredibili humanitate non audentibus,
prodireq; extra viscera cordis;
vt intra viscera, si qui egeant, intrent,
habituri quibus teneantur,
expansas animi suauissimi Vlnas.
Hoc Tu complexu, Romæ, & in Patria,
strinxisti Principum, Antistitum, & Heroum pectora,
cordiumq; intima tenuisti,
ex quibus necdum euolutus, hæres adhuc
inter amoris publici fibras,

Cleri

Cleri amor, & gratia,
Sponsæ Ecclesiæ Dei corona,
zeli, & exempli Spiritualis
Idea absoluta,
per Cathedras Ecclesiasticas, aureo Chrysologus ore;
inter oracula Iuris,
Themidis Polonæ dilectio.
Olympia meritorum tuorum,
in Archidiaconatu Sandecensi,
non vnam Olympiadem emensa,
ostenderunt vestigia, SOLEÆ Tuæ ad coronam,
quàm verè cauata, & erosa, in saxo durissimo,
nempè solidissima fuerint;
arcano cælesti diutiùs protracta;
vt imitationi aliorum magis expressa proponerentur;
nec ante coronatum,
in Vauelano fastigio desinerent ascensum.
Hùc Te delegit,
Præsulum, & Principum lectissimus ipse,
Celsitudine sua, & magnitudine nominis maior,
I O A N N E S
de MAŁACHOWICE
MAŁACHOWSKI,
Antistes Cracouiensis, & Dux Seueriæ,
non vna gemmarum Ecclesiæ DEI Fascia,
coronandis mentibus selectissimis data.
Publicam certè,
Princeps hic votorum destinationem,
humanissimo gratiæ suæ vinculo conclusit;
effecitq; vt desideria omnium, gaudia tandem fierent:
Tuq; inter gemmas Cathedralis Basilicæ Cracouiensis,
natalium splendore, claritudine Virtutis & sapientiæ,
in auidè expectantium oculis radiares;
non accessione aliqua honoris Tui;
quem iam virtute supergressus fueras;
sed æui nostri felicitate;
cui seruatus es; vt iam ex Te ipso coronatus,
ipsum etiam honorem, supereminentibus meritis coronares.
C ita

ita factum est,
vt longiùs detenta æstimatio tui,
iret tandem gradu properato ad summum,
compensatione ingentis meriti non quiescens;
donec voce Dei, in voce populi clamante,
candidissima Magni Præsulis Fascia præsentante,
niueis Peraugusti Capituli suffragiorum calculis,
Archidiaconus Cracouiensis,
Oculus Episcopi fieres;
qui iam ante fueras, optimarum mentium pupilla.
Addantur ergò coronæ coronis;
& in hoc capite, de quo coronarum certamen est,
sub Victoriosæ Crucis Trophæo,
Princeps Theologia vincat:
quæ Te, cùm laureato honore dignatur;
in hoc annulo, in hac gemma,
quâ Te sibi desponsat,
cor etiam, Tibi gemmæ cordium tradit,
& ex cordibus omnium vouet;
vt Doctoralis hæc corona,
sub auspicîjs FASCIÆ MAŁACHOVIANÆ,
virtutum, honorum, & seculorum,
Tibi Fascia sit;
vt Falcis Tuæ sacram aciem reuerita,
vitæ inimica mors,
in alienam, quia DEI messem, Falcem mittere non audeat;
SOLEÆq; Tuæ felici calcaneo,
quicquid vspiam infestum, aut ex aduerso est,
solidissimè conteratur:
Tuq; *in hoc signo Crucis salutari*,
sub quo Theologica lauru,
coronatus triumphas,
& meritorum celsitudine, honorum fastigia;
& immortalitate nominis secula
VINCAS.